

ornamentum afferre valeant. Sic igitur KREGELIVS sapientissimo consilio non tantum privatis quorundam hominum commodis consulere, sed publico inprimis commodo inferuire voluit. Hunc talem Virum quis non laudet? quis non suspiciat? quis non post mortem etiam omnibus praeconiis dignissimum esse putet? Postulat sane nostra in Eum pietas, vt laudes Eius, quantum in nobis est, candide et sincere ad posteritatis memoriam transmittamus. Hoc consilio memoria KREGELIO-STERNBACHIANA quotannis d. 18 Iulii, qui est dies, quo Vir Optimus superiori anno vitam cum beata morte commutavit, Oratione solemni in Academia nostra celebrabitur, hac prima vice autem huic solemnitati ob diem dominicum interuenientem dies 19 huius mensis dictus est. Recitabit Orationem, cui primo hoc stipendium contigit PAVLVS CHRISTIANVS GOTTLOB ANDRAE, Lipsiensis, Philosophiae et Liberalium Artium Magister, ab egregia doctrina et morum probitate valde commendabilis, *Munificentiam in bonas litteras earumque Cultores* laudaturus. Quem Oratorem vt praesentia Vestra ornentis, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, PRINCIPES CELSISSIMI, COMITES ILLUSTRISSIMI, PROCERES VTRIVSQUE CIVITATIS GRAVISSIMI, COMMILITONES GENEROSISSIMI, NOBILISSIMI, ea qua decet obseruantia humanitateque rogamus.

P. P. Lipsiae Dom. VII. p. Trin. A. MDCCXC.

---

LIPSIAE

EX OFFICINA KLAVBARTHIA.

---